

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXCVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Lindaviensibus, tum etiam de aliis. Nunc enim valetudine non bona utens, adeo occupatus sum, ut vix respirare queam. Constantinopolim, Wiennam, & ad alios quam plurimos hodie & cras scribo, nec video, quomodo me expediam. Gratulor vobis & Ecclesiae & Scholae vestrae, negotium vestrum esse deductum esse, & oro DEUM, ut procedat ad nominis sui gloriam, & Ecclesiae & Scholae vestrae salutem. Quid actum sit Lindavii, partim D. Florus, partim D. Nicolaus Fabri narrabit. D. Pappus neque vocatus est à Senatu, nec actioni adhibitus. Fortassis propter privata negotia esse profectus. Miror autem sine tuo consensu aut te incio ipsum profectorem suscepisse. Isti nunc Gollensfedern. Dixit mihi tuo nomine salutem, & nomine reliquorum Dominorum, & ut tibi vicissim dicat, rogavi, & ipsum officii & observantiae erga te debitae veteri severitate admonui, id nisi fecerit, mihi nunquam amicus erit. Bene & feliciter vale. Raptim Tubingae. Resalutant te reverenter omnes mei Collegae, 15. Augusti, 1575.

Quod Comes D. Flori tamdiu abfuerit, ut propter me excusatum habeas, summopere oro. Ego enim in causa sum diuturnioris illius morae, mea absentia.

Priusquam has consignavi literas nuncium affertur de morte filiae tuae, cuius causa, quo minus perturbatus sis, sed DEO gratias agas, intelligis. Ne ergo plores, sed te virum & Christianum & Pastorem, Doctorem & Superintendentem demonstras. Quod cum feceris, recte feceris & personae & officio tuo dignum. Matri, honestissimae conjugituae, idem dicas & meo & uxoris nomine meae quoque salute dicta.

Tuissimus frater

Jacobus Andreae, D.



CXCVII.

S. Reverende & Clarissime Vir, Domine

& frater honorande.

Solent alias amici ab amicis non libenter accipere expostulatorias literas. Ego verò literas tuas, quas nuper ad me dedisti, & in quibus mecum amice expostulasti, non modo hilari animo accepi, sed tibi quoque maximas & ago & habeo gratias. Sunt enim argumentum amoris non simulati, sed confirmati.

mati.

528

mati. Et nisi hæc occasio sese obtulisset, accepturus fuisses responsum prolixum & amicissimum. Nam dici non potest, quantum me exhilaret mutuus ille & pius consensus in controversia longe gravissima. Cui Dominus dabit lætam ^{1074529Phi} utcunque, epithasis turbulenta videatur. Ad dictum diem, Domino volente, volumus accedere ad Hirschavium, & frui dulcissimo Colloquio, utcunque amara adversariis sit disceptatio. Hæc breviter, ut intelligas, quo animo ad hanc collationem amicam simus accessuri. Dignissimum Dominum Cancellarium Illustriss. Principis mei, singularem meum patronum & Dominum, reverenter ut salutes, etiam atque etiam oro, eique mea officia paratissima commendes. Benè & feliciter vale. Raptim Hirschaviæ 16. Augusti, Anno 75.

tuis ex animo ut semper

Jacobus Andreæ, D.



CXCVIII.

S Literæ tuæ, Vir Reverende, gratissima mihi fuere, etsi ea parte nonnihil me conturbant, qua Filiæ mortem nunciant, atq; eatenus te dulci senectutis solatio privatum esse; sed quia Domini id opus est, qui præstantem spiritum ad celestia vocavit, ærumnarum omnium portu semel ostenso, scio te in ejusdem voluntatem resignatum esse, & filiæ felicitatem sempiternam in gremio Christi positæ nequaquam invidere, nec immoderatus ferre, quod accidit. De Concordia & sine optimo controversiæ diu agitatæ etiamnum oprimè spero, ac tanto firmiorem fore confido, quo magis importunitate sua, qui resistunt, affectuum produnt impotentiam, ac gaudeo Theologicam Scholam à te gubernari, quod probat etiam missa ad me Disputatio, cujus lectio mihi jucundissima fuit, ac pro communicatione gratiam habeo. Porro ne desinam pro more interpellator esse pro aliis, juvenes hosce, Bernensis Reipub. alumnos, tibi amicè commendo; quorum alter mihi ad semestre conubernalis probe innotuit, singularis modestiæ, pietatis, seriæq; diligentæ testimoniis illi perhibeo, refert proflus patrem, qui ante triginta annos & ipse Bernensis Reipub. alumnus in Schola vestra me promotore Domino Dasypodio (piæ memoriæ) convixit; non dissimilem illi confido etiam alterum fore. Gratum feceris mihi & ipsis utile officium, si ad Collegium vestrum promoveris, aut si minus id liceat, de commodo apud aliquem ex symmistris, aut professoribus hospite prospicias. Füeglinus noster convaluit DOMINI beneficio, & sunt pacata & tranquilla apud nos omnia. Condæum ajunt ad nos reversurum, sed arbitrator minore cum Aulicorum mul-